



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Iosephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Prolud. 4. Fons magnalium D. Iosephi Prædestinatio ejus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

XV. Quod ergò de Claudiani stylo gravissimus dixit Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 3. Potiori ego jure de nostrorum dictione Evangelistarum, & maximè in proposito nostro usurpare possum. *Tota illa dictione succincta quod profluens: rebus ampla, stricta sententiis; que plus docet quam dicit, que paucis verbis multa cohibet: cui cura fuit causam potius implere quam paginam.*

XVI. Quare si mirata sunt tempora nostra (antiqua tacco) Helvetum illum qui Lugduni Ludovico XIII. Galliarum & Navarra Regi Christianissimo Rhedam obtulit quatuor equis accuratissimè instructam tantà exilitate, ut totum opus unius unguis non excederet magnitudinem. Si Capocium Senensem Pictorem qui totam Christi patientis historiam, res, actus, personas in suis unguibus est distinctissimè emensus, apud Majol. Canic. Memorial. collat. 23. Si Franciscum Alumnum Scriptorem qui Symbolum Apostolorum & Divi Joannis Evangelium in unius orbiculo denarioli elegantissimè descripsit; quanto magis mirari debemus Sacros Evangelistas qui tam multa D. Josephi decora verbis & lineis còplexi sunt tam paucis.

XVII. Cùm itaque tot & tanta Sacri Interpretes, Theologi præstantissimi, Encomiastes Primarii, & Patres Sancti, de D. Josephi magnalibus, & tam magnificè protulerint. Apiculas imitabor quæ ex optimis quibusque floribus succum meliorem colligunt, ex quibus opera sua conficiunt, quæ in alvearibus disponunt in ordinem: ita ego ex iis quæ ab istis prolata fuerunt, potiora seligam in hoc Opus, suis quoque locis reponenda.

XVIII. Sed cùm hæc quæ à dictis Scriptoris prolata fuerunt omnia ex Scripturâ, maximè verò ex sacro Evangelio inveniantur eruta: sitque idem ipsum Evangelium licet verbis tam arctum, sensu tamen tam fecundum, ut plurâ semper & plurâ ex eo depromi possint, & de facto in dies depromantur ad ejus laudem: Efflores etiam imitabor & Aurifabros, primos quidem qui in fodinas ipsas descendunt, indeque metalla educunt, in quibus postea Aurifabri laborant & ex illis statuas suas conficiunt: ita ego quoque conabor ex ipsis sa-

cræ Scripturæ fodinis, maximè verò ex Evangeliiis, nonnulla ipse effodere, quæ in Opus meum proferam cum illis quæ ab aliis effossa, eaque elaborabo pro posse meo, nec verebor exiguitatem meam, hæc cogitatione animatus, quod scilicet hujus Beatissimi Viri merita sint auro vel adamantibus, lapidibusque pretiosis similia, quæ cùm seipsis satis splendeant, manu rudioris & impoliti artificis pertractata & in opus adducta, non amittunt suum splendorem, pretium aut justum valorem. Cedat utinam hic meus conatus ex voto meo ad gloriam Dei omnipotentis qui in Sanctis suis gloriosus est majorem, & hujus Beatissimi Patris Jesu cultum ampliorem.

PROLUDIUM IV.

Fons Magnalium omnium Divi Josephi, Prædestinatio ejus.



Fonte laudum & encomiorum D. Josephi Patriarchæ gloriosissimi, qui est ipsum Dei verbum, ut vidimus Ca-

p te præcedenti, recto ordine ac immediate progredimur ad fontem magnorum ejus magnalium, quem nullus dubitat fuisse æternam ejus ac singularissimam Prædestinationem, de quâ hic.

Nomen porro Prædestinationis communiter acceptum, significat actum illum divinæ voluntatis, quo Deus absolute & efficaciter statuit homini æternam conferre beatitudinem, sive illa voluntas sit ante, sive post prævisa illius merita: quâ de re Theologi Antiqui in lib. 1. Sentent. & Recentiores in 1. part. D. Thomæ, in quibus vide ex nostris Gregorium Sebenicum in novâ Concord. Prædestinat. cum libertate.

Sed licet hæc Deus habuerit voluntatem circa D. Josephum, hæc tamen voluntas non est propriè Prædestinatio ipsius: nam cùm hæc in D. Josepho singularissima fuerit, & accedat ad prædestinationem Mariæ legitimæ Conjugis suæ, & Christi Filii sui dilectissimi, habet procul dubio aliquid aliud rarius & præstantius, propeque

B

accedens

Synopsis

Magnalium
D.
Josephi
RV
etc

accedens ad prædestinationem utriusque Conjugis inquam & Filii sui.

IV. Quare ut Christus dicitur prædestinatus, & Caput prædestinatorum, ex hoc præcisè quod ipsius humanitas sacra inter omnes electa fuit ab æterno, ut uniretur Verbo Divino in unitatem suppositi; quia ex vi istius singularis electionis, debita fuit ei gratia & gloria isti unioni commensurata: & quemadmodum Beata Deipara dicitur prædestinata ex hoc quod ab æterno electa sit ut esset Mater ejusdem Verbi Incarnati, quia similiter ex vi istius electionis specialis accepit gratiam & gloriam isti electioni & Maternitati debitam ac proportionatam: ita dico electionem illam quæ Deus ab æterno ita specialiter Divum elegit Josephum ut esset Pater ejusdem Verbi Incarnati, & consequenter Deiparæ Sponsus & Conjux: esse ipsius prædestinationem, & consequenter ex vi istius electionis specialis accepisse gratiam & gloriam tantæ dignitati congruentem.

V. Hanc porro prædestinationem sic explicatam eruo ex illis pauculis verbis quæ habentur Matth. cap. 1. vers. 16. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Quæ inter pauca illa quæ de ipso Sacrum protulit Evangelium, potiora semper ab omnibus existimata fuerunt, & sola sufficere ad cumulum laudum D. Josephi ut & lectissimæ ejus Sponsæ: & meritò quidè in illis quippe qui hætenus à quibuscumque ejus Encomiastibus ad ipsius laudem cõgesta sunt, velut in compendio continentur: Nec quæcunque de illo unquam dici vel excogitari poterunt, quantacunque illa fuerint, talia esse poterunt, ut quod verbis illis, *Joseph vir Mariæ de qua natus est Jesus*, significatur & importatur, ullatenus adæquare valeant. Cujus proinde prædestinationis ut & omnium gratiarum, privilegiorum ac prærogativarum ei à Deo collatarum, quæ ex illâ eadem prædestinatione tanquam ex copioso fonte in ipsum uberrimè profluxerunt, non alia mensura est, quàm ipse *Jesus*, cujus hoc loco insinuatur Pater, & *Mariæ*, cujus asseritur Vir. Nucleum igitur istum frangamus.

VI. Albertus Magnus ex celeberrimo Ordine Prædicatorum Angelici Doctoris D. Thomæ Præceptor, & ex illo noster Sylveira tom. 1. in Apocal. c. 11. v. 3. quæst. 11. n. 8. de Beata Virginitate Deiparæ excelssâ differens magnitudine, graviter ponderat quod Deus antequam omnes viros magnos, quorum sit mentio in Sacra Scripturâ, ad magnas eveheret dignitates, magna prius ac præclara in illis referat merita, ut inde omnibus fieret evidens, quàm aptè & convenienter erant ab eo in istâ dignitate, officio & munere cõstituti. Hoc modo antequam Noë constituitur veluti secundus proto-parens, & novum extincti penè generis humani seminarium, dicitur de illo Genes. cap. 6. vers. 8. *Noë vir justus atque perfectus erat in generationibus suis.* Sic etiam Abraham antequam electus dicatur, ut in semine ejus benedicerentur omnes gentes, Genes. cap. 22. vers. 18. prius tentatur à Deo, Vers. 1. 2. & 3. ei præcipiente ut tolleret filium suum unigenitum quem diligebat Isaac, & iret in terram visionis, atque ibi offerret illum in holocaustum super unum montium, quem monstraturus erat ei: in quo nihil cunctatus obedivit Deo: & ante adhuc Genes. c. 12. v. 1. probaverat eum præcipiens ei ut exiret de terrâ suâ & de cognatione suâ.

VII. Ita quoque Joseph ex duodecim Patriarchis unus antequam ad Principatum sublimaretur Ægypti, Genes. cap. 2. v. 41. invidiam patitur propriorum fratrum, ab iis nudatur, in cisternam dejicitur, venditur, exulat, captivatur, castitas ejus probatur, & propter eam in vincula conjicitur; verbo uno vita ejus tota, non nisi continua tragedia. Moyses Israëliti prorsusquam fiat Dux populi, à Deo quid non passus asseritur? quæve non deglutitus difficultates cum Pharaone Rege illo obduratissimo? Tandem ne nimium excurramus, David Rex antequam ad thronum ascenderet, quomodo tentatus, probatus, examinatus dicitur, quænam patientiæ animi, constantiæ, virtutum omnium argumenta exhibuisse dicitur.

VIII. At inquit loco citato P. Sylveira in Beatâ Virgine Mariâ, in quâ illustriora &

& alia extra omnem comparationem merita super omnes creaturas, non ita procedit Scriptura; sed primum quod de ea Sancti Evangelistæ profertur est sublimis & præcelsa ejus dignitas, scilicet Matris Dei, *de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.* Cur in ipsâ, inquit Sylveira, styllum mutat Scriptura? cur non prius illius, ut aliorum, merita recensentur, ac deinde dignitas? Respondet graviter & solidè ex Alberto magno noster Doctor & Interpres. *In ea, dignitate probatur meritum.* Merita Noë, Abrahamæ, Joseph, Moysis, Davidis, & cæterorum, possunt verbis explicari. Ast B. Virginis Mariæ merita tanta sunt, ut nulla inveniantur verba quibus explicari possint: sed solâ ipsius dignitate metienda sunt. Suprema dignitas Matris Dei ad quam sublimata est, quâ major nulli puræ conferri poterat creaturæ, ostendit & probat manifestissimè merita ipsius esse super merita omnium purarum creaturarum.

IX. Atqui Scriptura dum loquitur de Sanctissimo Patriarcha Josepho ejus Sponsio castissimo, eodem planè modo procedit, eodem ergo modo de illo ac de ipsâ argumentandum, atque adeò dicendum *Dignitate Josephi comprobatur meritum;* id est, hoc illi planè commensuratur. Congesserat in cum Deus sine dubio ut aptè Virgini desponsaretur, fieretque Pater illius divinæ Prolis, quam hæc ei desponsata divinitus conceprura erat & paritura; ingentem gratiarum & cælestium divitiarum cumulum; cumulaverat ille illis benè usus virtutes & merita supra modum. In fide sine dubio superabat Abrahamum, in justitiâ Noëmum, in castitate Josephum, in sanctitate Moysen, in mansuetudine Davidem, in zelo Eliam, &c. Scriptura tamen dum de eo primum loqui aggreditur, non ab his incipit, sed ejus encomium exorditur ab his verbis, *Jacob genuit Joseph virum Maria de qua natus est JESUS,* Matth. c. 1. v. 16. Prosequitur deinde cum istis verbis. *Cum esset desponsata Mater JESU Maria Joseph antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto,* quæ singularem ac summam ejus continent dignitatem: exorditur, inquam, ipsius Magnalia ab ejus

incomparabili dignitate, quare hoc? quia nimirum nequeunt ejus merita ut aliorum Sanctorum verbis explicari, sed illa ut Sponsæ suæ, ex ejus præcelsâ, cui adæquatur, dignitate debent metiri & colligi.

X. Quare cum ejus dignitas utpote patris Dei, eo modo quo est, & quo illum fuisse ostendemus part. 2. tract. 2. post dignitatem Virginis Deiparæ Sponsæ suæ omnium summa sit, ut constat, quænam enim amabo illi vel etiam comparari possit? Neque hoc solùm sed etiam tanta ut ejus comparatione cæteræ valdè parvæ sint, ideo ejus merita per respectum ad alios sunt etiam extra omnem comparationem: atque adeò quantacumque de illo dixerimus, quantumvis magna fuerint, semper erunt meritis ejus minora, quia merita Patris Christi solâ ejus dignitate metienda, cogitationes nostræ, verba nostra nunquam adæquare possunt.

XI. Hinc D. Bernardus homil. 2. in *Missæ est,* sic infert ex eodem quoque principio. *Quis & qualis homo fuerit Beatus Joseph conjice ex hac appellatione, quâ (licet dispensatoria) meruit honorari à Deo ut Pater Dei, & dictus & creditus sit.* Quid quæso dixisset D. Bernardus, si ex appellatione illâ, non tantum dispensatoriâ sed propriâ, verâ & stricti juris, quàm infra part. 2. tract. 2. probaturi sumus, argumentatus fuisset?

XII. Divi Bernardi vestigia, Divus premit Bernardinus Senensis tom. 3. serm. de S. Josepho. *Quando, inquit, divina Providentia aliquem ad singularè gradum, seu aliquem sublimem statum elegit, omnia Charismata donat, quæ illi personæ sic electæ, & ejus officio necessaria sunt, atque illam copiosè decorant, ut patet in Moysè, Josue, Abraham, Isaac & Jacob, David, & sic de aliis Prophetis: patet etiam in novo Testamento in Virgine benedictâ, in Apostolis, Evangelistis, Doctoribus, & in Religionum Institutioribus. Quod maximè verificatum est in S. Josepho, qui ab æterno Patre electus est ut esset, &c.* Eodemque modo innumerî alii horum vestigiis inhaerentes argumentantur.

XIII. Et certè posito semel hoc fundamento quod fuerit modo aliquo vero ac jure stricto Pater Christi Domini, & Conjux Virginis Deiparæ, ut probaturi

Synopsis

Magnalia

D.

Josephi

RV

sumus part. 2. duobus tract. prioribus; quid magnum excogitari poterit in privilegiis? quid exquisitum in gratiis? quid pretiosum in cœlestibus thesauris, quod non ei debitum fuerit & quod non in eum Deus, qui dat omnibus affluenter, cornu plenissimo effuderit?

XIV. Quàm grave, quàm invincibile hoc argumentum quod Apostolicæ nititur regulæ 1. Corinth. cap. 3. v. 6. ubi sic Apostolus. *Qui idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Quam explicans Doctor Angelicus & Scholæ Phoenix D. Thomas Aquinas in c. 8. ad Rom. dicit: *Deus unicuique Sanctorum confert sanctitatem & gratiam ei muneri accommodatam in quo illum constituit.* Huic nihil habeo superaddendum, cum & quidquid superaddi posset hoc semper minus foret & omnino supervacaneum.

PROLUDIUM V.

Ex hac Prædestinatione Divus Iosephus in ordine gratiæ opus Excelsi Capitale.

I.  ON tantum electus est Divus Iosephus ab æterno ut esset Pater JESU & Sponsus Beatissimæ Virginis Deiparæ, sed superaddendo dico directè ac primariò electum ut esset Pater JESU, consequenter verò & secundariò tantum ut esset Vir Mariæ. Hæc propositio singulariter faciens ad magnitudinem D. Iosephi & ad veritatem Paternitatis ejus, invenitur probata à nobis infra Part. 2. Tractat. 2. cap. 10. ex quâ manifestè sequitur quod posuimus in proposito sistemate.

II. Itaque arbitror Deo accommodari aliquo modo posse quod in Artificibus summis observatur. Hi cum multa conficiant artis suæ opera magnâ diligentia elaborata, in quibus eorum industria & peritia ita semper elucet, ut in illis supra inferiores omnes artifices semper excellant: in suâ tamen probationem habilitatis & scientiæ perpetuam, unum aliquod moliri solent summum, quod artis specimen vocant, quod ideò per Antonomasiâ dicitur eorum

opus, quæ alia in hujus excellentissimi comparatione operis aut nihil sint, aut nullius considerationis: ita Deus in consideratione gratiæ multa licet suæ vasa gloriæ produxerit excellentia, imò miracula, qualia sunt tot Sancti, qui nobis ab Ecclesia proponuntur colendi, ad majorem tamen suæ sanctitatis & supremæ providentiæ ac potestatis ostensionem ejusdem gratiæ specimina & opera (ut aiunt) capitalia elaborare voluit; idque in utroque sexu, ut utrique deferret honorem: Atque adeò in sexu fœmineo specimen illud primum & summum fuit Beatissima Virgo: & jure merito, quia nimirum ab æterno præordinata est ut esset Dei nostri Mater purissima. Sed in virili sexu quis? nisi ille quem eodem modo ab æterno elegit ut esset ejusdem Dei nostri Pater verus?

III. Neque mihi dixeris Christum esse specimen illud & opus gratiæ capitale in sexu virili; licet enim per unionem hypostaticam Deus sexum hunc utique potiorum & nobiliorem extulerit non tantum supra sexum fœmineum, sed etiam supra omnem Angelicam naturam. At tamen non propterea Christus specimen illud gratiæ, de quo hic. Primò quia quidquid dicant nonnulli dubito & meritò dubitandum an Christus aliâ sanctitate & gratiâ eguerit quàm divinâ, quâ fruebatur per unionem hypostaticam: quid enim illa accidentaria, quæ cœteri Justii efficiuntur Sancti, fecisset in illo in quo erat ipsa Sanctitas divina per essentiam? Enimverò gratia illa accidentaria quid est nisi participatio aliquantula divinitatis? Ubi autem est ipsa Divinitas per identitatem, ut erat in Christo per unionem hypostaticam, ut quid illa modica participatio?

IV. Sed quidquid sit eâ de re, respondeo de augustissimo locuturus Mysterio, præaugustâ utor D. Augustini phrasi, & dico cum eodem Sancto Doctore lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. quod *Deus naturam nostram, idest, animam rationalem, carnemq. hominis Christus suscepit, susceptione singulariter mirabili vel mirabiliter singulari.* Unde de eodem epist. 3. quæ est ad Volusianum idem Sanctus Pater. *Hic si ratio queritur non erit*